



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Qvæstio IV. De ente prout Existentia est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

cognitio divina. Unde hoc ipsum quando dicitur Essentiam divinam esse Motivum Intellectionis divinæ, intelligendum est negativè, simili modo ac intelligimus negativè id, quod Deitas sit à se.

RESPONDETUR. Imprimis etiam posita hac explicatione, quo sensu motivum Intellectionis divinæ sit ipsa Essentia divina, adhuc Argumentum multum probat. Quia probat motivum intellectionis divinæ, non esse ipsam Essentiam divinam, sed intellectionis divinæ motivum esse ipsammet intellectionem divinam, cuius tamen oppositum videtur hic debere intendi. Directè ad Argumentum hoc dici potest. Ly à quo Intellectiones divinæ dupliciter sumi potest. Primò Ly à quo sumendo pro Principio, & tanquam Actu primo ex modo nostro concipiendi, vi cuius proditur ad actum secundum intellectionis, seu quòd se habet per modum Principii elicentis, & hoc à quo, est indubiè sola Essentia divina. Secundò Ly à Quo sumi potest, pro responsivo, ad interrogationem, quare sit assensus exhibitus, & hoc à Quo, competit ex rationibus adlatis, etiam rebus creatis, & licet cognitio divina non sit in genere Principii elicentis ab alio quàm ab essentia divina, poterit esse ab alio, in genere responsivi. In idem fermè recidet si dicas Ly à Quo tanquam à specificativo extrinseco haberi posse in Intellectione divina etiam ab aliquo creato, licet à quo specificationis intrinsecæ, habeatur ab ipsamet Essentia divina.

INSTAT. Objectum motivum illud dico ex quo & ex Potentia paritur notitia à quo specificatur, atque accipit suam perfectionem cognitionis.

RESPONDETUR. Quì notitia ex objecto & Potentia gignatur alibi explicatum. Specificationem autem extrinsecam jam dixi haberi posse ab aliquo creato, licet specificatio intrinseca, non possit esse aliud intellectionis divinæ, nisi Essentia divina. In idem recidit, si dicas ab essentia tanquam à Principio elicitive habere specificationem suam Intellectionem divinam, licet habeat specificationem ab aliquo extrinseco, sumptam pro eo, quod est reddibile pro ratione assensus divini, seu quod est responsivum ad Quare assensus.

DICES II. cum eodem. Per hoc solum prædicatum, differt objectum motivum à purè terminativo, quòd hoc posterius solum modò representetur per cognitionem, & non est id, à quo est cognitio.

RESPONDETUR. Non per hoc, hæc duo distinguì, cum etiam in creatis motivum cognitionis, non sit id à quo tanquam Principio elicitive sit notitia. Per hoc ergo potius hæc duo differunt: quòd objectum terminativum, habeat rationem ejus circa quod notitia, objectum autem motivum, est Responsivum, ad Quare assensus.

DICES III. Unius cognitionis nonnisi unum

est objectum adæquatum. Si enim est multiplex, tunc ex illis coalesceret unum adæquatum. Atqui in Deo nonnisi est una cognitio. Ergò.

RESPONDETUR. Hoc argumentum videtur probare multum, quia probaret, etiam Terminum cognitionis Divinæ, non esse, nisi solam Essentiam Divinam. Ille enim Terminus, est objectum indubiè notitiæ; unius autem notitiæ, debet esse unum objectum adæquatum, aliàs coalesceret ex pluribus. Directè dici potest unius cognitionis, quæ etiam in modo noscivitatis, est infinita non esse unum objectum adæquatum, stans in aliquo increato, sed debet esse objectum illius unum adæquatum stans in creato & increato. Quia ergò notitia Divina est ita una, ut simul sit infinita, etiam in modo noscivitatis, ideò extendere se poterit ad assumendum pro motivo, etiam objecta creata.

NOTO. Dictum est in primâ parte seclusis imperfectionibus competere Essentiæ Divinæ etiam rationem Speciei impressæ, hinc omnia objecta motiva creata representantur ab Essentia Divina tanquam habente vim Speciei impressæ respectu omnium Motivorum creatorum, hocque sensu dici potest solam Divinam Essentiam habere rationem Motivi, cum hoc tamen stat, ut non sola Essentia, sit pro ratione reddibilis, ad Interrogationem factam, quare Deus assentiat objecto?

QUÆSTIO IV.

De Ente prout Existentia est.

EX dictis suprâ de ente participialiter accepto colligi potest ens prout est existens esse ipsum ens prout est extra causas; jam autem existentia abstractè sumpta, est ratio existendi extra causas. Conformiter autem ad dicta de possibilitate posset distinguì duplex existentia, quædam extrinseca, & hæc definitur per esse extra causas, nec competit Deo cuius nulla est causa. Deinde alia distinguì posset existentia intrinseca, quæ stat in esse actu, & hæc Deo etiam competit.

DIFFICULTAS I.

An sit distincta realiter essentia ab existentia?

DICENDUM Quòd non. Est Conclusio Scotistarum & ex nostris reliquorum contra Thomistas, quibus accessit noster Maurus, & Fonseca modaliter eam distinguens.

PROBATUR I. Si essentia distingueretur realiter ab existentia Petri, etiam essentia existentia distingueretur realiter ab ipsâ existentia: sed non distinguitur realiter; ut probatur; si essentia existentia distingueretur realiter ab ipsâ existentia, quæro existentia illius distincta, ab essentia

essentia existentia, adhuc ne essentia distingueretur realiter vel non? Si distinguitur realiter, quæram de illa tertia, & sic in infinitum. Quod si non distinguitur, nec illa essentia existentia de qua primò procedebat quæstio, erit distincta realiter. Sequela autem probatur principalis argumenti. Quia non est major ratio, cur essentia Petri sit distincta realiter ab existentia, & non sit distincta realiter essentia existentia, ab ipsa essentia.

RESPONDEBIS. Id quod est ratio formalis existendi non requirit aliam existentiam à se distinctam realiter; quia quo aliquid est tale & ipsum est tale, sic unio non indiget uniri alia unione, nec actio indiget agi alia actione; sunt enim formales rationes, quæ se ipsis & non per aliud sunt tales: cum ergo existentia, sit ratio formalis existendi, se ipsa, & non per aliam distinctam realiter existentiam existet: E contra essentia Petri, cum non sit formalis ratio existendi, existere per distinctam realiter existentiam poterit.

CONTRA. Tum quia quæcunque ratio probat essentiam à parte rei positam, non esse rationem formalem existendi, eadem probat essentiam existentia, non esse rationem formalem existendi: Sicut enim essentia Petri potest existere & non existere, ita etiam essentia existentia, potest existere & non existere, per quod probatur distinctam esse existentiam essentia ab existentia licet existentia sit ratio formalis existendi. Tum quia etiam de conceptu essentia quem dicit existentia quæ talis, non est esse rationem formalem existendi, quia formalitas existendi & formalitas essentia secundum se non sunt eadem, ergo neque essentia quam dicit existentia, competet formalitas, esse rationem existendi, eodemque fundamento utriusque essentia distinctio invehetur.

PROBATUR II. Quia nulla est necessitas distinguendi essentiam ab existentia, ut patet solutione argumentorum.

CONFIRMATUR. Ex Arriaga hic Sect. 3. a. n. 58. Quia nullum est signum distinctionis realis essentia ab existentia, si enim aliquid esset, esset separabilitas, hæc non datur, ut ibidem probatur. Deinde ut assumit Suar & Ovied. Nihil potest fieri ens per alienam entitatem, ergo nec existens per alienam existentiam. Antecedens probatur. Quidquid distinguitur ab alio distinguitur tanquam ens ab ente, ergo utrumque extremum, ut condistinctum ab alio, est ens, ergo non constituitur per aliud, in ratione entis. Quod ipsum sic ulterius proponi posset. Antecedenter antequam constitutur aliquid ens per alienam entitatem, jam est ens, ergo in ratione entis, non constituitur per alienam entitatem. Antecedens probatur. Jam enim antecedenter ad alienam entitatem est distinctum, quomodo enim unum constitueretur per aliud, si utrumque indi-

stinctum est, & unum idemque; distingueretur à seipso, nempe constitutum, ut supponitur realiter, à constituyente, ut supponitur realiter. Consequentia autem principalis probatur, quia existentia nihil aliud est, quam ens in actu, ergo si nihil potest constitui ens per alienam entitatem, adeoque neque existens per alienam existentiam; non enim posset constitui ens per alienam existentiam, nisi constitueretur ens in actu, per alienam entitatem.

PROBATUR III. Essentia quæ est à parte rei prout condistincta existentia, vel est nihil, seu non ens in actu, vel non est nihil, seu non est non ens in actu: Neutrum dici potest, quod probatur; Si essentia prout condistincta ab existentia est nihil etiam in ratione entis, constitueretur per alienam entitatem, idque constitutione reali, & tamen nihil potest constitui ens per alienam entitatem, ut probatum immediate. Rursus si essentia prout condistincta existentia, esset nihil, ergo non sunt illic duo condistincta, quorum utrumque sit res, sed se habent ita, sicut Petrus & Tenebræ. Denique si essentia prout condistincta existentia esset nihil, & posset existere aliquid per existentiam alienam & non posset; posset existere, ut supponitur; non posset existere, quia quod est nihil; non potest existere per existentiam alienam; aliàs & existeret, & non existeret, existeret quidem, ut supponitur, non existeret autem, quia nihil non existit. Et si essentia prout condistincta existentia est nihil, quomodo est à parte rei? Si autem essentia prout condistincta existentia non est nihil, sed est à parte rei, ergo existit: hæc enim duo verbis differunt, ad quid ergo illi superaddita existentia?

RESPONDEBIS I. Inter illos terminos ens actu & non ens actu dari posse medium ens non actu; ita ut essentia prout condistincta ab existentia sit ens non actu, & ita ut quasi medium illud datur non per abnegationem utriusque extremi, sed per participationem ex utroque.

CONTRA. Tum quia impossibile est esse ens à parte rei & non esse ens actu, ergo si essentia prout condistincta ab existentia est à parte rei, prout condistincta, est ens actu. Antecedens probatur, quia quæcunque formalitate constituitur ens, à parte rei hoc ipso constituitur actu, nisi facias de sola voce quæstionem. Tum quia de eo quod est ens non actu, vel est verum dicere; est nihil actu, vel non est verum dicere; si non est verum dicere, nihil actu, ergo verum erit dicere est ens actu, quod tu negas: quid enim medium inter ens, & nihil? Quod si de illo quod est ens non actu, verum est dicere, est nihil actu, ergo verum erit dicere, quod sit non ens: non ens enim, & nihil quo differunt?

RESPONDEBIS II. Condistinguenda esse illa duo, unum actuale esse essendi, & aliud esse actuale existendi; essentia ergo prout condistincta existentia habet actum illum essendi.

CONTRA.

CONTRA. De hoc ipso queritur cur non habeat actum existendi, si est actu à parte rei; cum actuale esse essendi, nulla in re differat, ab actuali esse existendi. Deinde cui non competit actuale esse existendi hominis ut bruto, illi non competit esse actuale essendi hominem; ergo & cui non competit esse actuale existendi non competet etiam esse actuale essendi; Sicut se enim habet tale ad tale, ita simpliciter ad simpliciter.

RESPONDEBIS III. Retorquendo argumentum Essentia prout ratione condistincta ab existentia, est ne actu vel non? redibitque argumentum contra Thomistas factum.

CONTRA. Quia in sententia per rationem nonnisi ratiocinantem distinguente essentiam ab existentia, dicitur illam, neque esse actu, neque esse non actu, sed præscindere jam ab utroque, non potest autem dici quod essentia à parte rei posita præscindat ab esse actu, vel esse non actu.

CONFIRMATUR Conclusio. Quæ confirmatio simul ostendit extrinsecam etiam existentiam competere essentia à parte rei positæ. Essentia quæ est physice, prout condistincta existentia, vel est actu extra causas, vel non est? Si non est extra causas prout condistincta existentia, contra erit, quia prout condistincta existentia est quid productum, non enim est Deus, neque ens à se, neque nihil &c. Si autem essentia prout condistincta ab existentia, est extra causas aliquid, ergo prout condistincta ab existentia, existit: hæc enim duo vix verbis differunt. Denique si distinguitur essentia ab existentia à parte rei, vera est hæc propositio, *essentia est distincta ab existentia*, ergo ulterius vera erit hæc *essentia est*, nam de quo à parte rei verificatur propositio de tertio adjacente, de eodem verificari potest de secundo adjacente, ut notum ex Dialecticis, & inductione, Ergo essentia prout condistincta ab existentia, existit, quia de illa verificatur particula *Est*, quæ supponit à parte rei, in communi sententia, pro existit.

DIFFICULTAS II.

Quomodo distinguatur existentia ab essentia?

PRÆMITTO I. *Non esse distinctam existentiam ab essentia, distinctione Scotistica, ex natura rei*, de quo alibi: ubi universaliter hæc distinctio rejecta. Quod si essentia ab existentia non est distincta realiter, nec ex natura rei, restat ut distinguatur, per rationem nonnisi.

PRÆMITTO II. *Existentiam posse comparari dupliciter ad essentiam.* I. Ad essentiam actuale. II. Ad essentiam quæ sit in statu possibilitatis: existentia actualis comparata ad essentiam

possibilem distinguitur, sicut ens à se ipso, dum est nihil, seu non ens. Et conformiter loquendo ad alias prædicta principia, distinguuntur hæc duo inter se, non ratione recti, & intrinseci, sed ratione obliqui, connotatorum, & status; nam idem ens, in quantum dicitur esse acceptum à causis, vocatur existentia, & in quantum dicitur habere adhuc esse in causis, dicitur esse, nonnisi in statu possibilitatis: tota autem est difficultas, de essentia actuali.

PRÆMITTO III. *Existentiam posse comparari tam ad essentiam actualem quàm actualis est, seu reduplicative acceptam, quàm ad essentiam actualem specificative acceptam*: si comparatur ad essentiam actualem reduplicative acceptam, seu ad illam rationem formalem, quæ reduplicatur, essentia sic spectata ab existentia differt, sicut definitum & definitio: reduplicative enim spectata essentia erit essentia, prout est in actu, esse autem in actu, & existentia, differunt sicut definitio & definitum. Tota ergo difficultas devolvetur ad essentiam quidem actu spectatam, sed tamen non reduplicative acceptam. *Circa quod*

DICENDUM est. *Existentiam ab essentia actuali specificative accepta, distingui connotative, ita ut in recto idem sint, in obliquo autem distinguantur.*

PROBATUR. Quia existentia quæ talis, importat esse extra causas, seu esse actu, essentia etiam actualis, importat solum connexionem exercitam prædicatorum actualium; ergo in recto non differunt: ubiq; enim idem respondet esse, ergo nonnisi connotative, quomodo enim aliter? Sed hæc adhuc.

QUÆRENDUM restat, *An ita possit subflare nostris conceptibus existentia, comparata ad essentiam, ut inter se præscindere possint?*

RESPONDENDUM Affirmative. Ratio. Tum quia considerando particulares essentias prout essentia sunt, possum formare conceptum communem particularibus essentiis. Possum item considerando particulares existentias formare conceptum communem existentia; quæ tamen duæ rationes communes, præscindunt inter se objective; conceptus enim communis accidentis, quantumvis Metaphysici, non potest esse conceptus communis, ejus, cujus est accidens; hoc ipso enim non esset ejus accidens; jam autem existentia, est accidens Metaphysicum essentia. Tum quia universaliter quæ definitionibus differunt, præscindere inter se possunt; jam autem essentia & existentia, differunt definitionibus. Tum quia si essentia non præscindit objective ab existentia, etiam in statu essentia importaretur existentia; sed non importatur, quia de essentia essentia ut sic, non est existentia: si enim ab his differentiis creatum & increatum, bene possit præscindi Ens, non apparet cur etiam sic non possit præscindi essentia ab existentia.

Objici.

Obijciuntur I. Si dantur præcisiones obiectivæ inter essentiam & existentiam dabitur processus in infinitum in istis formalitatibus obiectivis. Quod ipsum probatur, quia illa obiectiva formalitas existentia, quæ correspondet ut condistincta à formalitate essentia, est apta ad non existendum, & potest habere duos statum puræ possibilitatis, & actualitatis; ergo in illa rursus duæ formalitates distinguuntur, una quæ sit essentia, & alia quæ sit existentia; de quibus ipsis ulterius redibit argumentum.

RESPONDETUR. Duplicem cogitari posse essentiam, nempe essentiam ipsius essentia, & essentiam ipsius existentia inter quas duas hoc discrimen est, quia existentia respectu essentia quæ essentia est, habet se ut accidens metaphysicum, existentia autem, respectu essentia ipsius existentia, non est existentia accidens, posita itaque abstractione essentia ut sic, ab existentia, intelligitur manere sola ratio differentialis existentia, quæ in re quidem essentiam continet, tamen prout obijciuntur nostris conceptibus, intelligitur quasi spoliata ex essentia secundum rationes communes spectata; licet non spoliatur essentia secundum rationes particulares spectata, ut dictum de Ente; à quæ existentia prout ita concepta, prout jam dicente, quod à se extracta jam sit ratio communis essentia, jam non potest ab illa, quæ tali, abstrahi ratio communis, nec unquam abstrahi potest existentia ab essentia ipsiusmet existentia, nec è converso accipiendo essentiam sensu explicato.

Obijciuntur II. Essentia actualis quantumcunque præcisa obiectivè ab existentia, eo ipso, quod actualis concipiatur, concipitur existens: Ergo nec essentia ab existentia nec è contra præcindi possunt.

RESPONDETUR. Essentiam actualem dum præcinditur non concipi actualem, sed depurari ab actualitate, hinc argumentum est, à non supponente. Neque valet si dicas, essentiam possibilem dicere existentiam possibilem, & essentiam actualem, dicere existentiam actualem; non inquam valet si dicas; quia potest concipi ipsa essentia secundum se, adeoque prior ex modo concipiendi, ipsa existentia possibili & actuali, cumque illa ratio abstractissima essentia, nullam dicat actualitatem, nullam etiam dicet existentiam: Et sicut animal quod est in homine depuratum à rationali, est à parte rei adhuc rationale; licet ab illo prout depurato à rationali, non possit ulterius rationalitas abstrahi; sic in præfenti.

Obijciuntur III. cum Oviedo. Nulla formalitas est actu existens; quæ non sit possibilis: ergo nulla formalitas est actu existens, quæ non includatur in eadem, ut possibili. Rursus nulla formalitas accipitur in ente possibili, quæ non concipiatur existens: Ergo neque ens possibile dicit aliquam formalitatem, quæ non dicat existens;

Ergo ens ut existens, & ut possibile, non distinguitur per formalitatem aliquam, quæ cognoscatur in uno, & non cognoscatur in alio:

RESPONDETUR. Licet in animali posito in Leone, & animali posito in Petro, quæ animal est, nulla sit formalitas in uno, quæ non sit in alio; nihilominus hoc non obstante, potest dari ratio communis utrique, ut docent qui tenent præcisiones obiectivas: ita quamvis non detur formalitas in ente possibili, quæ non sit in actuali, & è converso; nihilominus dari poterit ratio communis utrique, adeoque ex vi rationis communis, præcindens à possibilitate & actualitate. Addo distinctas esse has propositiones: An dicat formalitatem aliquam existentia possibilis, quam non dicat actualis, & an depurari possit conceptus essentia, à prædicato suo metaphysico, quod est existentia. De priori non est questio; sed de solo posteriori: præcipue cum ex dictis supra constet, possibilitatem non rectè explicari, per existentiam conditionatam. Denique cum importentur alia connotata ab ente possibili quæ tali, alia ab existente, poterit ratio communis desumpta ex his potius connotatis fabricari, constituereque objectum præcisiuum unum ab alio.

INSTABIS. Quando Deus cognoscit creaturam possibilem, indifferentem ut producat, vel non producat, cognoscit omnes formalitates, quæ sunt in illa jam producta, vel non cognoscit: si cognoscit omnes, ergo in statu possibilitatis ex parte obiecti, includit omnes formalitates, quas includit existens, ergo existens nullam addit formalitatem, supra possibilem: Quod si non omnes cognoscit formalitates in creatura possibili, quæ reperiuntur in existente, sequitur aliquam formalitatem esse productam, quin cognitio illius formalitatis productionem ejus præcesserit.

RESPONDETUR. Possibile & existens, si ratione rectè sumantur, non præcindunt à se; idem enim est existens, quod erat possibile; idem autem, à se ipso ut tali, non præcindit; ratione tamen connotatorum, sunt diversa obiecta, possibile & existens, connotataque unius, non conveniunt alteri: nam in statu possibilitatis non importatur actualis ratio existendi extra causas, sed attenditur ad solum nexum prædicatorum, & tantum pro statu existentia, ad rationem illam actualem, existendi extra causas; cur ergo ratione diversorum connotatorum, non poterit depurari, conceptus ut sic essentia, à conceptu existentia, fundamento habito in connotatis diversis.

* *

† F

DIFFI.

DIFFICULTAS III.

*Solvuntur rationes pro distinctione reali
essentiae ab existentia.*

Pluribus argumentis quae deducunt ex diversis principiis probant suum intentum Thomistae. Antecedunt & argumenta recentiorum.

Punctum Difficultatis 1.

Rationes Thomistarum.

OBJICITUR I. Auctoritas Aristotelis 2. Poster. c. 2. *Hominem, inquit & esse hominem aliud est & inferius, esse vero nullius est substantia.* Et 3. de Anima C. 4. ait: *aliud est magnitudo, aliud magnitudinis esse.*

RESPONDETUR. Haec omnia sufficienter explicari per alietatem oriundam à diversis connotatis: quia nec etiam eadem auctoritates probant, quod essentia ipsius existentiae distinguatur realiter ab existentia; aliàs idem non esset idem, utque esse nullius sit substantia, sufficit quod existentia sit accedens Metaphysicum.

OBJICIUNTUR II. Quaedam Principia Philosophica.

I. PRINCIPIMUM. Separabilia realiter sunt distincta realiter. Existentia & essentia sunt separabilia realiter. Ergo.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum per subsumptionem hujus Minoris, Essentia posita extra causas, & essentia eadem, non posita extra causas, sunt separabilia realiter, ergo essentia à se ipsa erit distincta realiter: Imò idem subsumi potest de ipsamet existentia in statu physico dum est, & dum aliàs, non est. Directè autem ad argumentum dici potest. Separabilia, realiter separabilitate ab ipso statu petibili, vel ratione diversorum connotatorum sunt distincta realiter in se. Nego Majorem: quidquid sit quod status ipse & connotata distinguuntur realiter suo modo. Separabilia realiter, ratione entitatis & intrinsecorum, idque pro eodem statu physico, sunt distincta realiter. Concedo Majorem: Essentia autem ab existentia non pro statu physico actuali, nec ratione entitatis, separari potest. Addo ex Oviedo: Essentiam Petri, ab aeterno nec fuisse eandem, cum seposita in tempore, nec distinctam: non fuisse distinctam, quia idem quod erat possibile existit, nec fuisse eandem, quia id quod est, & quod non est, non possunt esse idem. Unde ad illud argumentum, Essentia eadem fuit ab aeterno Petri, quae est in tempore, sed existentia Petri distinguitur realiter ab Essentia Petri ab aeterno, ergo distinguitur realiter ab essentia Petri in tempore; ex vi hujus additi respondendo dicitur, quod in hoc argumento & minor &

& major falsa sit. Sed hoc idem argumentum distingui aliter potest, quod scilicet illae essentiae, ratione connotatorum & statuum habeant distinctionem.

II. PRINCIPIMUM. Potentia & actus, participans, & participatum, recipiens & receptum sunt distincta realiter: Sed essentia est potentia participans actualitatem recipiendam, jam autem existentia est actus, participatum, receptum &c. Ergo.

RESPONDETUR. Potentiam Metaphysicam & actum Metaphysicum non esse distincta realiter, aliàs homo qui est per modum potentiae receptivae formae, quae est risibilitas, distinguetur realiter à risibili; licet potentia physica & actus physicus, distinguantur inter se realiter. Unde idem ad se ipsum, potest diverso respectu habere rationem potentiae Metaphysicae. Concesso autem, quod essentia non sit potentia physica ad existentiam tanquam ad actum, non sequitur existentiam non fore aliquid limitatum, quia limitationem potest habere, & non ex praedicato potentiae physicae, sed ex sua natura, conditioneque praedicatorum. Dicitur etiam ex dictis potest, quod ratione nonnisi diversorum connotatorum, rationem potentiae, habeat essentia, & existentia, rationem actus.

III. PRINCIPIMUM. Mutabile & immutabile sunt distincta realiter, essentia est immutabilis, existentia autem mutabilis. Ergo.

RESPONDETUR. Hanc diversitatem praedicatorum, esse ortam ex alietate statuum & connotatorum, sed non ratione intrinsecorum. Hinc etiam ipsa existentia hominis, secundum id quod dicit in recto, est immutabilis, quia est ipsemet homo.

IV. PRINCIPIMUM. Impossibile est idem esse & non esse, ergo non potest quidquam esse, & tamen concipi sub negatione ejus, cui identificatur realiter; sed essentia potest concipi sub negatione existentiae; Ergo haec non identificantur formaliter.

RESPONDETUR. Existentiam de essentia negari, non ratione recti, nec ratione status physici ejusdem, sed ratione connotatorum, & diversi status, quia si concipiatur essentia non extra causas, adeoque non in statu physico, bene de illa negari potest, existentia.

COLLIGES, quid respondendum sit ad illud, quod nihil sit indifferens ad seipsum: Id enim verum est, quod nihil physice sit ad seipsum indifferens; sit tamen ex modo concipiendi, ratione diversi status, connotatorum &c. Et licet quidem accedens physicum debeat esse distinctum realiter ab eo, cujus est accedens, secus sentiendum de accidenti Metaphysico, qualis est existentia, quae etiam ratione recti, intrinseci, & entitatis non est accedens, sed ratione status & connotatorum: hoc est causarum, extra quas, vel intra quas sit essentia. Unde quamvis praedica-

dicatio existentiae de essentia, sit praedicatio accidentis, est tamen accidentis Metaphysici.

COLLIGES, quid sit respondendum ad illam instantiam, quod convenit non nisi dependenter à causa efficiente, distinguitur ab eo, quod convenit necessario; existentia autem convenit contingenter & dependenter à causa efficiente; consequenter enim ad dicta negari debet, quod existentia secundum id quod dicit in recto, non sit æque necessaria ac essentia. Et licet id quod convenit pro statu physico non nisi dependenter à causis, distinguitur realiter, ab eo, quod convenit pro eodem statu physico, independenter à causis, potest tamen idem pro statu Metaphysico esse independentes à causis & pro statu Physico dependens.

V. PRINCIPIMUM. Relationes diversae, debent habere diversos terminos. Et ita ratio similis, non terminatur ad passum vel æquale; cum ergo relatio transcendentalis & praedicamentalis, sint relationes diversae, diversos etiam debent habere terminos: sed si non distinguatur existentia ab essentia, relatio transcendentalis & praedicamentalis non haberet distinctum terminum; quia relatio transcendentalis est ad ipsam essentiam, praedicamentalis est ad existentiam; & tamen per nos non distinguuntur realiter essentia & existentia.

RESPOND. Principium istud paribus cæteris accipiendum esse: Si enim esset verum universaliter, probaret quod albedo, quæ est terminus relationis similitudinis, non possit esse terminus relationis dissimilitudinis ad nigrum: sufficit itaque si distinctæ relationis terminus sit vel diversus realiter, vel diversus formaliter; præcipue cum illa relatio transcendentalis Dei ad essentiam creaturæ, nihil aliud sit, quam ipsa omnipotentia petens producere, & ipsa creatura petens produci; quod totum salvari potest, quamvis essentia non distinguatur realiter ab existentia.

Arguunt aliqui ex eo distinguere realiter existentiam ab essentia, quia operatio creata distinguitur realiter ab essentia, consequenter & modus essendi, hoc est, existentia debet distinguere: Sed illud proloquium non plus vult, quam quod intrinsecam perfectionem entitativam actus, accipiat à modo essendi.

OBJICIUNTUR III. Quædam Principia Theologica.

I. PRINCIPIMUM. Solus Deus est suum esse, sed si non distingueretur realiter existentia creaturæ ab essentia, creatura esset suum esse.

RESPONDETUR. Effatum illud ita esse intelligendum; quod scilicet solus Deus sit à se, sibiq; principium essendi; reliqua autem omnia sunt ab illo. Alius etiam sensus illius dicti dari potest: Solus Deus est suum esse, id est, quidquid est in Deo, Deus est; atq; ita est in Deo sapientia, esse sapientia in Deo, Deus est, &c. & sic de reliquis: quod non convenit creaturis.

II. PRINCIPIMUM. Solus Deus est actus purus, sed si existentia creata identificaretur etiam creatæ essentia, hoc non esset verum; quia sola compositio, destruit rationem actus puri, quæ compositio non esset, si identificaretur essentia cum existentia.

RESPONDETUR. Majorem illam, sola compositio destruit rationem actus puri, posse duplicem habere sensum. Omne id quod compositionem non habet ex distinctis realiter, est actus purus, & hic sensus falsus est, quia ab existentia saltem essentia ipsius existentia non distinguitur realiter, & tamen existentia non est actus purus. Deinde potest facere hunc sensum, quod compositio si detur, destruat rationem actus puri, sed ita ut illa etiam non posita possit destrui ratio actus puri, non quidem per compositionem ex essentia, sed aliunde.

Explicari etiam dictum principium sic potest. *Solus Deus est actus purus*, quia non transit à potentia ad actum, sed semper est actus non multus antecedentia potentia: solus autem Deus est talis, nos autem & in esse & in operari, transimus à potentia ad actum. Rursus quod est actus purus non potest habere rationem subiecti; in omni autem creatura subiectantur illius accidentia.

III. PRINCIPIMUM. Scientia simplicis intelligentia à scientia visionis sunt distinctæ; Ergo debent terminari ad diversa objecta; sed nisi daretur distinctio realis inter existentiam & essentiam non possent distinguere istæ scientiæ. Ergo.

RESPONDETUR. Cum circa idem realiter objectum, possint versari etiam creatæ duæ scientiæ realissime distinctæ, multo magis versari poterunt scientiæ divinæ realiter indistinctæ; Suficeret ergo distinctio objectorum, ratione diversorum realiter statutum.

Distingui rursus poterunt illæ scientiæ ratione objecti attributionis, seu rationis formalis ultimata, quia scilicet ratio intenta à scientia simplicis intelligentia, quæ tali, est ratio possibilis; ratio autem intenta à scientia visionis, quæ tali, est ratio existens. Et sicut non obest quominus dicatur distinguere Logica à Physica, quia Logica rationem huius quod est operatio intellectualis considerat, quam etiam considerat Physica; ita nec sequetur confusio scientiæ visionis, quamvis utraque, idem objectum habeat, modo distinguatur ratione objecti attributionis.

Distingui item poterunt illæ scientiæ ratione medii in quo, & ratione cuius cognoscuntur; quod ita explicatur. Possunt bene notitia circa idem in re objectum distinguere præcisè ratione medii in quo, & ratione cuius cognoscuntur: Et sic notitia Dei in illo met ipso & notitia Dei per attachæ speciem expressam, quam habet Gabriel de Deo, sunt notitiæ distinctæ. Rursus eadem Conclusio diversa erit si per diversa motiva procedat,

revocabiturque ad diversas scientias: Visio item horti in se, & imagine vel speculo, longè est alia, & sic de reliquis: ex quibus stabilitur hæc Major, quòd notitiæ ratione medii in quo, & ratione cuius cognoscuntur, sint diversæ. Quia verò medium in quo, & ratione cuius cognoscuntur possibilia, est diversum à medio in quo, & ratione cuius cognoscuntur existentia, sit ut scientiæ etiam ad illa objecta attendentes sint adhuc diversæ. Porro medium in quo noscuntur possibilia est, v. g. omnipotentia, ipsa Dei essentia: &c. Medium autem in quo noscuntur existentia, est illorum præsentia ad æternitatem, quæ ipsa ratione decreti alicujus divini liberi proportionati, attinguntur, cum tamen possibilia, independentè à quocunque decreto libero, noscantur.

Rationes Recentiorum.

Objicit I. Sylvest. Maurus q. 6. Phys. Univerſim actus distinguuntur ab iis quæ habent tales actus. Aliud enim est quod movetur, aliud moveri, aliud quod intelligit, & aliud intelligere: Sed aliud realiter est intelligere aliud quod intelligit, ergò & aliud quod existit aliud existentia.

RESPONDETUR. Aliud esse actum physicum formæ physicæ, & aliud quod habet talem actum, sed actus formæ Metaphysicæ, ab eo quod habet talem actum, distingui non debent; alias unitas quæ est actus unius entis, risibilitas quæ est actus metaphysicus unius Risibilis, deberent esse distincti realiter; quod si hæc ipsa dicas distingui realiter, saltem entitas & ens, non distinguuntur realiter, quamvis entitas sit actus entis, jam autem existentia est actus metaphysicus essentia.

INSTAT I. Si quis sincerè reflectat super se ipsum, advertit quòd sicut ipse intelligit non per hoc, quòd sit intelligere, seu actus intelligendi; sed per hoc quod habeat actum intelligendi; ita etiam est non per hoc quòd sit esse, sed per hoc, quòd habeat esse; absurdum autem est ut ens habeat id quòd est; v. g. dicitur absurdè quòd homo habeat animal rationale.

RESPONDETUR. Imprimis reflexio nostra qualis, non potest in præſenti pro argumento accipi: potest enim dici ex modo nostro concipiendi imperfecto, totum illud oriri: plane ac cum sub formis materialibus, concipimus Deum. Sed posito etiam quòd nos reflectamus super nostras cogitationes, nemo nisi præoccupatus, experitur quid sit essentia, supra quam ponens se existentia, quòd faciat illam esse, extra causas. Transcat item quòd absurdè dicitur hominem habere animal rationale, quia hæc duo comparantur ut definitum & definitio; quæ tamen ita non comparantur, etiam si sint idè realiter, modò unum cum fundamento in re concipiatur per modum accidentis Metaphysici, advenientis, secundarii, aliud per modum essen-

tia &c. bene horum unum haberi, aliud babere, dici poterit; & ita dicitur unumquodque ens, habere suam unitatem, quæ ab illo non distinguitur realiter.

INSTAT II. Quòd potest habere ac non habere aliquem actum, non est talis actus; & ita quòd potest sedere, & non sedere, non est actus sedendi: sed omnis creatura potest habere & non habere actum essendi; Ergò nulla creatura est actus essendi.

RESPONSUM suprâ. Quòd potest habere & non habere pro statu physico aliquem actum non est talis actus. Concedo. Si hoc illic contingat non pro statu physico, sed pro aliquo potentiali vel intentionali. Nego. Non eritque distinctio in recto in hoc, quòd est actus; & in hoc quòd est posse actus, sed erit distinctio ratione obliqui, connotatorum, & statûs diversi.

INSTAT III. Ex eodem fermè principio. Certum est inquit me posse esse ac non esse; quò posito, quærit, vel posse esse ac non esse, est ipsum actu esse, vel non est ipsum actu esse; si primum, contra erit, quia ipsum posse moveri, & non moveri, non est ipsum actu moveri; Ergò & in præſenti idem dicendum. Quòd ipsum in hoc fundatur, quia sicut esse, est ipsum esse; ita posse esse & non esse, non est ipsum esse actu; sed est potentia essendi, ac non essendi: Si autem posse ac non esse, non est ipsum actu esse, habetur intentum: Neque enim potest dici, quòd ipsamet possibilitas, sit quid mihi extrinsecum, identificatum cum Deo; hoc enim idem esset ac dicere, quòd posse meum moveri & non moveri, non sit aliquid intrinsecum mihi, sed merè extrinsecum.

RESPONDETUR. Posse esse & non esse, cum ipso actu esse, sint idem quoad rectum, licet non sint idem in obliquo. Paritas adlata de motu, non convincit; quia argumentum à distinctione formarum physicarum, non valet ad formas Metaphysicas, qualis forma Metaphysica, est existentia. Secunda etiam pars argumenti non convincit. Quia sufficit ut esse actu, non sit idem in obliquo, cum posse esse actu & non esse; licet sit idem in recto; Quando autem videtur admittere possibilitatem intrinsecam rerum, id secundum dicta superius pro nobis facit.

Objicitur II. Ex imperfectione creaturæ oritur, quòd non identificetur cum aliis actibus; sed actus essendi, est primus & præstantissimus actus; in quo omnes fundantur. Ergò.

RESPOND. Ex imperfectione creaturæ oritur quòd non identificetur cum actibus Physicis, sed nego, quòd etiam debeat non identificari cum actibus Metaphysicis, qualis est existentia.

Objicitur III. Creaturæ undique debent differre à modo essendi Divino, in ratione causati & incausati. sed modus essendi divinus consistit in hoc, ut sit ens à se, in se, per se, & propter se, & hoc est esse, undique incausatam in quocun-

que

que genere. Est autem Deus à se, quia non accipit esse ab ulla causâ efficiente: est in se, quia esse Dei non recipitur in ullo subiecto vel potentiâ; est per se, quia non est per esse distinctum: est propter se, quia non est propter finem diversum, sed ipse est supremus finis omnium: Ergo creaturæ debent habere esse undique causatum, per proportionatam oppositionem, defectum involventem.

RESPONDETUR. Hæc nos omnia prædicata salvare, licet non cum explicatione qualem ponit obiectio. Et quidem quod sit à se, concordamus in explicatione. Quando autem esse in se explicat, quia esse Dei non recipitur in ullo subiecto & potentiâ, id imprimis in principio arguentis difficultatem habet; quomodo enim aliquid est in se, si non distinguitur id quod est, & id in quo est? sicut nemo dicit in animali rationali esse hominem. Sed retinendo etiam explicationem quam ponit obiectio, adhuc illa salvari potest in nostris principiis, quia scilicet non recipitur esse Dei, in ulla potentiâ quæ physice præcesserit, vel præcedere potuerit, sicut à posse esse hominis, anteceditur esse hominis. Sensus autem illius dicti Deus est in se duplex legitimus & receptus dari potest, quod Deus sit sibi locus, nulloque extrinseco indigeat loco. Vnde communi Theologorum phrasi dicitur, fuisse in se ipso, ab æterno. Rursus Dei esse est in se, quia scilicet in se ipso, complectitur omnia, pro suo esse, nec indiget principiis effectivus &c. similia. Quod attinet ad explicationem illius: est per se, quia non est per esse distinctum supple realiter. Hoc ex dictis immediate refutari debet, videturque esse omnino arbitraria, & petens principium. Commodius dicitur, hoc sensu Deus est per se, quia non ex accidenti habet existentiam sed necessario & per se.

INSTAT I. idem. Adverti debet quo sensu Deus sit ens per essentiam, creaturæ per participationem; Sicut enim ignis est ignis per essentiam, quia non participat ignem, nec habet ignem in se, sed est ignis. Ferrum verò ignitum non est ignis per essentiam, sed solum per participationem, quia non est ignis, sed habet ignem sibi intemè unitum. Ergo cum Deus ita sit ens per essentiam, quia non habet esse sed est ipsum esse, ita creaturæ erunt entia per participationem, quia non sunt esse sed habent esse.

RESPONDETUR. Non esse proportionem si comparetur ignis ad ferrum ignitum, & Deus ad creaturam existentem, nam ignis habet formam substantialem suæ materiæ unitam, quæ est actus Physicus ignis, ideoque constituens cum materia essentiam ignis. Jam autem ferrum ignitum, non habet sibi substantialiter unitam formam ignis, hinc non potest dici nisi ignis per participationem. Jam verò tam Deus quam creatura, habent actum existentiam, unde ad salvandum quod Deus sit ens per essentiam, suffe-

cerit hoc, quod sit necessarium in existendo; quamvis Deus & creatura, habeant æquè identificatam pro statu reali existentiam: ad eum modum quo Deus est unus per essentiam, & tamè etiam unitas à nobis, non distinguitur realiter.

INSTAT II. Deus ita est sapiens ut sit ipsa sapientia, ergo etiam ita est esse, ut sit ipsum esse, ergo creaturæ quæ habent sapientiam & non sunt sapientia, etiam habebunt existere ita, ut non sint ipsum existere.

RESPONDETUR. Concedo propositiones assumptas de Deo. Quod attinet ad creaturas, non est par ratio, quia possunt esse extra causas creaturæ & non esse sapientes, non potest autem esse extra causas essentia & non esse sapientes, non potest autem esse extra causas essentia & non habere existentiam, nec videtur tenere argumentum à formis Physicis ad Metaphysicam.

INSTAT III. Ex eodem fermè medio termino; hoc est comparata perfectionis in creaturæ, ad creaturam, sicq; urget. Esse quod non est receptum in alio, sed est in se subsistens, est infinitum, esse enim quod non est acceptum ab alio, sed est à se, est infinitum, ita etiam non receptum in alio, debet esse infinitum. Videnturq; se mutuo ista consequi, non habet esse ab alio, ergo non habet esse in alio. Unde hæc etiam affirmativæ se consequuntur, habet esse ab alio, ergo habet esse in alio. Sed si substantiæ creatæ essent suum esse, ipsarum esse non esset receptum in alio, neque enim quidquam recipitur in eo, quod est.

RESPONDETUR. Esse quod non est receptum in alio per exclusionem actualis vel potentialis negationis existendi, est ens infinitum, debet enim hoc ipso esse à se. Cæterum esse non receptum in alio, si actu non existit, vel si saltem poterat non existere, nō est necesse, ut sit à se, adeoq; infinitum. Hoc enim ipso quod sit à se, caret principio suarum perfectionum limitatio, non repugnat autem, esse non receptum in alio subiecto esse adhuc finitum, ex sua natura, ut patet in unitate comparata ad ens. Imò & in animalitate & rationalitate comparata ad hominem. Et licet non esse ab alio: sequatur non recipi in alio, quia si ex esse à se, sequitur infinitudo perfectionis, sequitur etiam hæc perfectio, nō recipi in alio, sed ex esse ab alio, non sequitur carentia omnis perfectionis, adeoq; carentia huius perfectionis, quæ est, non recipi in alio.

Quando autem in solutione argumentorum frequenter recurrit ad hoc quod sit extra causas essentia quoad posse esse & non esse, quoad esse autem actu, est extra causas, ratione existentia; id non convincit, quia sequitur illud posse esse & non esse prout condistinctum ab existentia & existere & non existere, non existere ut supponitur, existere autem, quia illud posse esse & non esse est extra causas, esse autem extra causas & existere nullo differunt, & si inter hæc ponatur differentia, non jam de re manet status questionis; quia hic procedit ex suppositione, quod hæc duæ voces habeant se pro eodem, imò quod se habeant sicut definitio & definitum.